
N. Aagaard

De usu Syllogismi in Theologia.

1647.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

1,-500.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 02024 3

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

Σὺν Θεῷ

Diſſertatio gemina

I. DE USU SYLLOGISMI

in Theologia, contra Nicephorum Gregoram.

II. DE NIDO PHOENIcis ex Carmine Lactantij

Imperatæ Diſputationis loco ad diem 27. Martij propoſita

à

NICOLAO AAGAARDO,

RESPONDENTE

PETRO JACOBI HOLMIO,

Philoſophiæ Baccalaureo.

HAFNIÆ,

Ex Officina Typogr. Martzaniana.

ANNO M. DC. XLVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

Perilluſtri & Magnifico Heroi &

DOMINO,

Dn. CHRISTIANO THOMÆO,

Dn. de Stougard, Lyckisholm &c. Eqviti Aurato, Regni Daniæ Senatori Primario Serenſſ. Reg. Maj. Cancellario Magno, Literatorum Patrono incomparabili

εὖ πράττειν.

MAgnifice D. CANCELLARIE,

QVod argumento omnibus conſpicuo in me declaravit M. V., miræ benignitatis ſpecimen tribus hic verbis venerari licebit, non qvòd paucis pagellis de tanto velim faſtigio patrocinium accerſere, ne eandem ſuſtineam cenſuram, qvam ille qvi dixit ſe *Fortunam Priami cantare & nobile bellum*: ſed ut devoto aliqvando obſeqvio foret integrum intimioris faventiæ fructum percipere. Properata igitur qvæſumus ne diſpliceat obædientia, cui, meo judicio, nihil eſt qvod obſcævet, niſi eluſum fortaſſis conceptæ de me ingentis ſpei deſiderium. Verùm fortunæ præſenti aliqvid videtur ignoſcendum, creditur enim fuiſſe, qvem ictus modò lapidis in proprij nominis oblivionem induxerit, & (qvo ſe exul excuſat ille) *ſi qvis in hac ipſum terrâ poſuiſſet Homerum, Eſſet,' crede mihi, factus & ille Getes.* Aris itaq; *cùm placeat cœſo non minus agna bove,* humilimè precor, liceat & mihi thuſculo litare tantilloq; obnoxiæ indolis indicio præſentem V. Mæ. opem, ſi non impetrare, at ſaltim implorare. Ita, qvod meritò nunqvam intermittimus, V. viciſſim M.am ardentibus Deo ubivis votis alacriores ſiſtemus,

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

An ratiocinatio locum habeat in Theologiâ?

Q*Væſtionem hac ætate varijs præclarorum Virorum concertationibus nobilitatam,* An Philoſophia *ſit* Theologo neceſſaria? *hic repetere non eſt conſilium. Cæterùm nos verba Nicephori Gregoræ Hiſt. lib. 10. c. ult. ſub incudem revocaturi, quæſtionis modum non excedemus. Ille autem ita dicit:* Cum diſputantium inſtrumentum ſit ad propoſiti confirmationem ratiocinatio, ut ligo foſſorum & remus navigantium, qvam nos Italis, ut qvicqvam aliud, ſtudio eſſe novimus: eam nos locum hic non habere ſcimus, ſive ea ſcientiam per Demonſtrationem polliceatur, ſive à probabili diſſerendi ratione proficiſcatur, cum hic de Deo *καὶ τῶν τῆς Θείας ϗ ζωαρχικῆς τριάδος* agatur.

§. Quibus verbis, ut & univerſa iſta oratione, duorum Epiſcoporum, à 2.
Papâ miſſorum, nimiam increpat, de rebus tranſcendentibus diſputationem à Patriarchâ Conſtantinopolitano flagitantium, importunitatem, eo prætextu, ut de religione gliſcentes controverſias utrinq; ſopirent, quæ, ſi credimus Chalcocondylæ lib. 1. Hiſt. Turc., tandem in publicum certamen eruperunt. Cœterum nos hoc unicè agemus. I. An Syllogiſmis uti liceat in rebus divinis. II. An Theologus apodicticè concluſionem probet. III. An probabiliter in Theologia etiam diſputetur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

3. *§. Primum quod attinet, negat Gregoras id convenire & ſe defendit verbis Gregorij, qvem dicit* lingvam non minus ab iſtiuſmodi diſputationibus retrahere, qvàm manus à flamma ignis, adeoq́; affirmare invitum ſe facere, ut de Deo diſſerat, & eos, qvi id temerè audeant, improbare, Ozanis exemplo ſcilicet perterritum &c. *Qvi vanus eſt timor: ſed ad carceres revocandus eſt Gregoras. Aliud enim eſt Syllogiſmum proſcribere, aliud Diſputationem averſari, qvippe qvæ differunt ut latius & anguſtius. Diſputatio enim peragitur aut Dialogis, qvæ eſt* ῥητορικωτέρα, *aut Syllogiſmis, qvæ Logico propria.*

4. *§. Dialogos ab ipſo Chriſto & Apoſtolis eſſe approbatos & uſurpatos nemo neſcit, etiam de Deo & divina Chriſti natura, Act. 17, Joh. 8. Matt. 22. Cur ergo faſtidirentur ſyllogiſmi, qui inſtrumenta tantum ſunt, ad Veritatem ignoratam ex iis, qvæ cognita ſunt, eliciendam?*

Inter templa Deum fas eſt, Dialectica, fari,
Et Jove conſpecto jure docentis agis,

inqvit Capella. An ſola forma eſt odio? Quid rei nocet, qui ſervata proportione mutet qvadrata rotundis? Inſuper cum Syllogiſmi multiplex ſit facies, & alius ſit Categoricus, alius Compoſitus, atq́; uterq́; ratione Propoſitionum Perfectus, aut ſecus: qvoſdam non dubito qvin ipſa agnoſcat Scriptura, idq́; directè vel indirectè, ſi non explicitè, at implicitè propoſitos.

5. *§. Et hic laudamus Aqvinatem verè ſentientem, qvod* Theologia ſit Argumentativa *Summ. part. 1. Q. 1. Art. 8. Qvi tamen Syllogiſmis congredi velit, à blaſphemis conſeqventiis & concluſionibus abhorrebit, memineritq́; eorum, qvæ Caſmannus Phil. Chriſt. part prior. cap. 5. ajat,* Philoſopho, *ſcilicet,* etiam reddendam olim eſſe rationem de qvovis verbo otioſo.

6. *§. De Secundo ait Gregoras.* Si ſcientifica, qvam vocant, Demonſtratio propoſitiones certas & per ſe claras reqvirit, & Concluſione notiores; hæ verò aut Inductione aut ſenſu aut experientia

decla-

declarantur: hic utiq; Demonſtratione ſcientifica ratiocinari non licet, cognitu enim difficiles, perceptuq; arduæ ſunt rationes Divinarum rerum &c. *Qvas hic Volſius reddit Propoſitiones* certas, *dicit Gregoras* ὁμολογȣμένας, *& per ſe* claras ἀναποδείκτȣς. *Verum qvæſtionis hujus altius ſunt repetenda primordia, anteqvam veritatem hinc licet exſculpere. Primò itaq; docendum* An demonſtrationi ſit locus in Theologia. II. Qvotuplici Demonſtratione utatur Theologus.

§. Ad primum. Cum in confeſſo ſit, qvod diſciplina ſit Theologia non ſimplex, ſed per aggregationem, adeò ut nunc Sapientiæ, nunc Scientiæ, nunc Prudentiæ vocabulo ab alijs atq; alijs definiatur: advertendum eſt, Gregoræ mentionem eſſe de iſta Theologiæ parte, qvæ in ſpeculativis haberi poteſt, ac eapropter Demonſtrationem jure juſtiſſimo admittit. Verùm cùm Theologia etiam inter practicas cenſeatur, mirum non erit, qvòd adeò accuratæ in qvovis qvæſtionis genere non poſſint Demonſtrationes afferri: ſunt tamen hæ qvales qvales, ut in alijs Operatricibus. Contra Gregoram itaq; ſtatuimus in Theologia dari Propoſitiones & manifeſtas, & indemonſtrabiles, & Concluſione notiores, eaſdemq; & Inductione & Senſu & Experimentis notificari interdum, interdum non. Nec aliter eſſe documento declarant illi, qui partim Deum prædicamento ſubſtantiæ comprehendunt, partim eò doctrinam Periherminias diduxerunt, ut prædicationes Theologicas includerent, partim integram Logicam ediderunt Theologicam. Et ſi hæc omnia eò tendunt, ut res Divinæ Syllogiſmis proponantur, Demonſtrativum Probabili convenientiorem eſſe fatemur. 7.

§. Ad Secundum. Aut laborat ratio à Gregora allata inſufficiente partium enumeratione, aut concedendum putabit, reliqvas omnes Demonſtrationis ſpecies, qvas ille non adducit, Theologo uſui fore. Nos autem nullam omnium excludimus earum, qvas, ab Ariſtotele erutas, hucusq; agnoverunt Logici. Tum enim τῆς ὅτι *&* διότι: *tum Particularis & Univerſalis: tum Affirmativæ & Negativæ: tum deniq; Categoricæ, qvam Oſtenſivam vocant alij, & Ad impoſſibile ducentis Demonſtrationis uſum & utilitatem probamus & admittimus.* 8.

9. *§. De Tertio. Dialecticæ uſum verbis Gregorij Nyſſeni hoc pacto increpat:* Noſtrorum dogmatum per artem Dialecticam & Syllogiſticam & Analyticam doctrinam confirmatio infirma & ſuſpecta cum ſit, id orationis genus relinqvemus. Omnibus enim perſpicuum eſt, Dialecticas argutias (περιεργίας) pares in utramq; partem vires habere, tam ad everſionem veritatis, qvàm ad mendacii accuſationem &c. *Qvæ eſt in Artem utiliſſimam iniqviſſima calumnia, cum qvadam veritatis ignorantiâ conjuncta. Loqvitur enim de confirmatione Syllogiſtica perinde, ac ſi Logica ſecum in Theologiam Principia afferret, & inter probandum ubiq; μετάβασιν committeret. Qvod non eſt.*

10. *§. Nam Logica eſt inſtrumentum, qvæ materiæ, cui applicatur, nullam infert neceſſitatem nec ejusdem veritatem aut vitiat aut firmat, ſed tantum grato verborum compendio oculis omnium aptè diſpoſitam ſubjicit. Certum qvidem eſt,* Dialecticam Propoſitionem eſſe qvæſtionem contradictionis, *ſed extra Syllogiſmum: in Syllogiſmo verò acceptationem* Apparentis & Probabilis. *lib. 1. Prior Annal cap. 1. An ea propter dicetur, uſurpari ad everſionem veritatis? Qvid commercij eſt Dialectico cum Paralogismis & ludibrijs Sophiſticis?* Dialecticus enim Syllogiſmus, qvà talis, conſtat ex probabilibus *1. Top. 1. & ijſdem nonnunqvam utitur medijs, qvibus nititur Demonſtratio. Qvod pulcrè deſcribit & diſcriminat Fortun: Crell. Log. Part. poſt. lib. 2. c. 1.*

De

De Nido Phœnicis ex Lactantio.

TUm legit aërio ſublimem vertice palmam,
    Quæ gratum Phœnix ex ave nomen habet.
Qvam nec dente nocens animal perrumpere poſſit,
    Lubricus aut ſerpens, aut avis ulla rapax.
Conſtruit inde ſibi ſeu nidum ſive ſepulcrum,
    Nam perit ut vivat: ſe tamen ipſa creat.
Colligit hinc ſuccos & odores divite ſylva,
    Qvos legit Aſſyrius, qvos opulentus Arabs:
Qvos aut Pygmææ gentes, aut India carpit,
    Aut molli generat terra Sabæa ſinu.
Cinnama dehinc, auramq; procul ſpirantis amomi
    Congerit, & miſto balſama cum folio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi
    Nec thuris lacrymæ, guttáq; pingvis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas,
    Et ſociat myrrhæ paſcuá grata nimis.

§. Occaſionem diſſertationi præbuerunt non Patres modò, ſed alij inſuper Chriſtiani authores. Patres enim permulti, fabuloſæ narrationis veſtigia ſecuti, neſcio cui non myſterio hiſtoriam Phœnicis applicuerint, non ſolùm ea tradentes, qvæ profani Herodotus, Plinius, Mela, Solinus, Tacitus & alij, ſed fabulam exaggerantes, Epiphanius imprimis & Hieronymus tertia die renaſci commemorant. Nec illi ſolùm, ſed reperiuntur, qui LXX. Interpretes Phœnicis non vocabulum modò, ſed etiam naturam produnt expreſſiſſe Job. 29 v. 18 In nidulo meo moriar & ſicut Phœnix multiplicabo dies. *Qvod qvam ſit fatuum hac vice nolumus oſtendere. Nihilominus fortuitâ uſi commoditate, de Nido ejus Hiſtorici, qvà licet, pariter & Grammatici officio functuri ex carmine ignoti Authoris, qvod tamen pleriq; Lactantio tribuunt, diſſeremus. Author itaq; ſic habet.* 11.

§. Tum legit *(inqvit,) ſicut poſtea* Qvos legit Aſſyrius *&c. Id qvod ſeqventi verſu explicat per* Carpit, *ut* Qvos India carpit. *Ita* 12.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

& Cic. *de Orat.* Nuces legere. *Et Virg. Ecl 3.* Qvi legitis flores &c.
Palmam *dicit tum per Synecdochen Totius, tùm per Hyppallagen, pro, Palmæ verticem. Palma enim ipſo nido ædificando non foret accommoda, nec in lignatione ejusmodi plus efficerent Phœnices, qvam Simiæ in apologo Hermogenis.*

13. §. *Palmam autem* Sublimem *dici ab verticis non puto eminentia, ſed trunci proceritate, ſiqvidem ramorum extrema ſolum ita ſpectant; ut orbem utplurimum in ſummo faciant (niſi fœminæ comas in eam partem naturâ ferunt, qvà mas eſt ſitus) comis meditullium cacuminis, qvod rami recurvati vacuum nudumq́; relinqverent, tegentibus, medullamq́; arboris (qvam ἐγκέφαλον vel ἐγκάρδιον Græci, Latini ſed rudiores Cephalionem, cultiores Cerebrum vocant, eò qvòd non penetret ad radicem usq́;) conſervantibus. Epitheton ergo ſublimis excludit pumilas, qvæ Chamæropes Plinio dicuntur, ſed Hermolaus & Pintianus Chameriphes corrigunt ex Theophraſto lib. 2. c.8.*

14. §. Vertice *notatur Cacumen, explicante Ovidio lib. 15. Metam.* tremulæq́; cacumine palmæ. *Et hac ſignificatione dicitur & de Arboribus ut Virg. lib. 3. Æn.* Qvales cum vertice celſo Aëriæ qvercus aut coniferæ cypariſſi: *& de Montibus ut Sil. Ital. lib. 1.* cujus in aërio pandent tua vertice caſtra. *Alias Vertex & Vortex pro eodem dici ait Caſſiodorus de Orthog. primumq́; Africanum fuiſſe, qvi Vertices per E enuntiàrit, teſtatur Qvintilianus. Epitheto,* Aërio, *utitur pro alto, ut Mart. lib. 12. ep. 50.* Daphnonas, Platanos, ac aërias Cypariſſos. *Et Virg. Ecl. 1.* Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo, *ubi Servius malè animadvertit Turtur eſſe fœmininum, ab epitheto aëriâ. Sed dicendum videtur, qvid Phœnix ex Vertice legat aërio. Rami avulſi qvidam dicuntur Spadices Gell. lib. 11. c. 26. qvidam βαΐα Joh. 12. v. 13. Qvorùm illi palmites dicuntur Plinio, qvi cum ſtruendo nido inutiles ſint, reliqvorum hic intelligimus extremos corymbos lentosq́; ſurculos, ex qvibus Thyreaticæ coronæ apud Lacedæmonas nectebantur, teſte Athenæo: qvibusq́; in pretioſis ſcopis utebantur Romani teſte Martiale in Apophor.* In pretio ſcopas teſtatur palma fuiſſe, ſed pretium ſcopis nunc analecta dabunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

§. Qvæ gratum Phœnix ex ave nomen, habet. *Sic etiam dicit ſupra:* Dirigit in Syriam celeres longæva volatus, Phœnicis nomen cui dedit illa vetus; *duplici errore. Nam nec Syria dicitur Phœnice, nec nomen habet Phœnice ab ave, ſed à filio Neptuni & Libyes ita dicto, quò reſpicit Sil. Ital. lib. 1.* Et qvi longa dedit terris cognomina Phœnix. *Non negat tamen Strabo lib. 16 fuiſſe, qvi Syriam in Cœloſyros & Phœnicas fuerint partiti, unde nomen* Syrophœniſſa *Marc. 7. v. 26. fluxiſſe videtur. Verùm qvod arbor ab ave nomen habeat, affirmat etiam Iſidorus Orig. lib 17. c. 7. Qvod eſt contra Plinium, cujus ſententiæ accedit Marcellus Virg. & rationem hanc incertam addit: qvod* mortuæ ambæ renaſcantur. 15.

§. *Cæterùm vox* Phœnix *apud Græcos & Arborem notat & Fructum; eumq; imprimis teſte Athenæo. Qvod niſi latuiſſet Plinium, Elaten & Spathen novam ſpeciem non prodidiſſet eſſe lib. 23. c. 5. Utraq; autem ſignificatione Generis vicem obtinet Phœnix. Ratione arboris eſt Mas & Fœmina: ratione fructus Mas niſi ψῆνα fert nihil. Qvare Plinius lib. 5. c 18 dicit Gentem Eſſenam ſociam palmarum. Ψῆνας verò culices ficarios etiam vocat Ariſtoteles teſte Rhodig. lib. 5. c. 6. Sed per* Culices rotundos Flori *ψῆνας intellexiſſe Hadrianum non credimus Turnebo, qvi tamen ψηνίζεσθαι non incommodè explicat Adverſ. lib 24, c. 8. Fœmina verò fert Balanos, qvæ nunc Dactyli appellantur. Inter qvas hoc diſcrimen facit Iſidorus, qvod aliæ ſint Palmulæ, ſimiles Myrobalanis: aliæ Thebaïcæ, qvæ & Nicolai: aliæ Nucales, qvas Græci καρυωτὰς vocant.* 16.

§. *Qvæ ſeqvuntur non bene conveniunt, nec in una ſede morantur.* 17.
Qvam nec dente nocens animal perrumpere poſsit, Lubricus aut ſerpens, aut avis ulla rapax. *Inauditum enim feras mordicibus arbores ſubpernare, qvod inſolentius dictu de Serpentibus & avibus. Præterea claudicat ſtilus, nam qvantò vehementius eſt* Perrumpere, *tantò remiſſius* Nocens. *Rectius Martialis:* Fulmineo ſpumantis apri ſum dente petita *&c. Et Ovidius de Mœnalio apro Arcadiæ:* Spuma fluit, dentes æqvantur dentibus Indis, Fulmen ab ore venit frondes afflatibus ardent. *Si Fremens dixiſſet aut Furens, rem propiùs æqvaſſet.*

§. Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

18. §. Dum Lubricum dicit, Colubri, angvillæ, angvis &c. *epitheton tribuit ſerpenti, qvaſi lentum tenacemq́; humorem cutis ejus ſubinde exſudaret, qvod ijs, qvæ aqvis oblectantur naturale, non in terra viventibus, niſi qvis vellet ſerpentem de qvoq; reptili intelligere. Verum etiamſi in India, fama ſit, ſerpentes in tantam adoleſcere magnitudinem, ut ſolidos hauriant cervos taurosq́; Plin. lib. 8 c. 14: non percipimus tamen cui uſui, ſi poſſet, palmam aut rueret aut deglutiret. Qvod de avibus etiam intelligimus, qvæ mira caperentur rapiendi voluptate, anteqvam vires in extirpandis arboribus experirentur. Et ſi adminicula inde ſtruendis peterent nidis, qvid qvæſo prohiberet impetum irruentium?*

19. §. Conſtruit inde ſibi ſeu nidum ſive ſepulcrum. *Qvod Tzetzes dicit* πήγνυτας καλιάς, *id & hic* Conſtruere nidum *dicitur, & Metam lib 15.* Ungvibus & duro nidum ſibi conſtruit ore. *Cum autem* Nidum & Sepulcrum *paria faciat, dicendum diſtinctè de utroq́; Aves alcedine exceptâ in terrâ omnes variè nidulantur, qvædam in ſublimi, aliæ verò in ſcrobibus terræ tam penitis qvàm patentibus. Hinc Phœnicem ſtatuimus debuiſſe exiſtimari in æqvore terræ nidificaſſe, qvod Tacitus ait,* ſuis in terris ſtruere nidum, *Philoſtratus,* prope Nili fontes ſtruere. *Qvæ qvàm diſſonent perinde eſt. Reclamat tamen Ovidius, qvi nidum conſtruere ſibi dicit Phœnicem* in ramis tremulæq́; cacumine palmæ.

20. §. *Cæterum qvod Solinus* Rogos, *Claudianus* Buſtum, *alij ſolùm* Nidum *appellant, id non recte hic* Sepulcrum *dicitur. Nam Dracontius in Hexaëmero dicit:* Conſumens dat membra rogus ſine ſorte ſepulcri. *Et Servius ad iſta verba Virg. Æn. 3.* Fortè fuit juxta tumulus *&c. in hunc modum commentatur: Terræ congeſtio ſuper oſſa,* Tumulus *dici ſolet: apparatus mortuorum,* Funus: *exſtructio liqvorum,* Rogus: *ſubjectio ignis,* Pyra: *crematio cadaveris,* Buſtum: *locus,* Uſtrina: *operis exſtructio,* Sepulcrum: *nomen inſcriptum,* Monumentum. *Et qvanqvam Plinius teſtetur* Sepultum *dici* qvoqvo modo conditum; *unde lib. 4. c. 12.* Hyperboreis *affirmat,* beatiſſimum eſſe ſepulturæ genus, ex qvadam rupe in mare ſalire, antiqviſſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

antiqviſſimumq; *appellat Feſt. in Sch.* genus ſepulturæ in puteis ſepeliri: *Vegetius tamen lib. 4. de Re mil. c. 44.* Inſepulta corpora *vocat, quæ abſumenda erant piſcibus; & Lamp. in Heliog. cadaver in Tiberim abjectum eſt, ne unqvam ſepeliri poſſet. Contrà* Humatus dicitur, mortuus, qvi terra ſit obrutus *Varr. de L.L lib. 4.*

§. *Ut autem* Sepulcrum *nonnunqvam fuit paratum, terrâ in ſpecum egeſta, qvale illud Commune, qvod Hor. lib. 1. Sat. 8. patuiſſe dicit* mille pedes in fronte, trecentos in agrum: *ita* Humare *etiam eſt cadaver extra terram tumulare, ſeu glebis conqviſitis obruere, ut* capiti inhumato particulam dare *Hor. lib. 1. Od. 28. Qvo modo ſtructis non Romani ſolùm & Græci uſi ſunt ſepulcris, verùm & Judæi & Orientales. Qvale etiam Chriſti ſepulcrum fuit, qvod ex cæſis lapidibus concameratum fuiſſe conſtat, ore ſaltim patente, qvod injectu alterius lapidis claudebatur.* 21.

§. Et perit ut vivat. *Ita & Alcimus libr. 1.* natali cum fine perit. Perit *convenienter dicitur, ſi fides adhibenda eſt Nonio, qvi dicit:* Perire levior res eſt (*ſc. qvàm Interire*) & habet inventionis ſpem, & non omnium rerum finem. *Ut Plant. in Capt.* Qvi per virtutem peritat, non pol interit. *Cæterùm differentiam non ſemper obſervari, teſtis eſt Popma lib. 3. de Diff. Aliàs* Perire *dicitur per Synecdoch. Totius pro* Mori, *ut* ἀπολλύμεθα *Matth. 8. Sic & Plinius lib. 7. c. 7.* Tu, qvi aliqvo ſucceſſu tumens, te Deum credis, tanti perire potuiſti. 22.

§. Se tamen ipſa creat. *Qvod ita dicit Ovidius:* Una eſt, qvæ reparet, ſeq; ipſa reſeminet ales; *dictionis genere multò mitiore, qvàm aut hìc, àut in Claudiano qvi dicit:* Nulloq; creante Emeritos artus fœcunda morte reformat. *Qvis non videt hoc univerſo naturæ ordini repugnare, ubi nihil eſt cauſa ſui ipſius?* Ipſa *dicitur Phœnix Genere fœminino, ut aliàs ſparſim in toto carmine. Qvemadmodum Pompon. Mela lib. 3. c. 9.* De volucribus præcipuè referenda Phœnix, ſemper unica *&c. & Lamprid. in Heliogab.* Fertur & promiſiſſe Phœnicem convivis, vel pro eà libras auri mille. 23.

§. Colligit hinc ſuccos & odores divite ſyl- 24.

vâ,

vâ. *Hinc eſt Adverb. Ordin. Sic Plin. lib. 9. c. 62.* Hinc volucrum naturæ dicentur. Succos & odores *per Metonym. Effect. pro Rebus ſucculentis & fragrantibus. Sic & Ovid.* Finitq́; in odoribus ævum. *Et Plinius:* Nidum replere odoribus, & ſuper emori. Sylvam *intelligit etiam de Virgultis, ut Virg.* Sylvamq; ſonantem, *dicit de Lupinis. Divitem vocat ob pretium aromatum. Qvare & Propertius* Indos dites *dicit, & Noſter infra,* opulentus Arabs.

25. §. Qvos legat Aſſyrius, qvos opulentus Arabs, qvos aut Pygmææ gentes aut India carpit, aut molli generat terra Sabæa ſinu. *Malè nos habet, qvòd non Phœnicis nido omnem à Pygmæorum ſedibus convehendam putaverit materiam. Nam ita ſimiles habuiſſent labra lactucas.* Gentes *dicit numero multitudinis, ni fallor, qvia Geographi qvoſdam in ſinu Arabico, qvoſdam in montanis Indiæ, alios in Thracia locent, ubi fuiſſe urbem Geraniam teſtis eſt Plinius, unde fugatos à gruibus ajunt eſſe Pygmæos, lib. 2. c. 11: atq; ut locus ſatis minutis corporibus ſufficeret, utriq; polo ſubjectos illis elegerunt tractus. Verùm enimverò qvamvis Strabo Pygmæos neget, animalia tamen in ultimis mundi extremitatibus puſilla naſci lib. 16. vult evincere, dicens* extremas habitati mundi partes, qvæ intemperatæ & inhabitabili regioni adjacent, propter frigus aut æſtum ἀποτεύγματα εἶναι καὶ ἐλαττώματα τῆς εὐκράτου.

26. §. Cinnama dehinc. *Solinus:* Rogos ſuos ſtruit cinnamis, *h. e. cinnamomis. Sic. Perſ. ſat. 6.* Urnæ oſſa inodora dabit, ſeu ſpirent cinnama ſurdum, *qvibus oppoſitum eſt* קִנְּמָן - בֶּשֶׂם *Exod. 30. v. 23. Nihili eſt, qvod dicit Iſidorus, Origen lib. 17. c. 8.* Cinnamomum dici qvod cortex ejus in modum cannæ ſit rotundus & gracilis, *nam Herodotus lib. 3. dicit vocem eſſe Phœnicum. Cinnamomum verò qvid ſit, notum eſſe ait Avicenna, ſed negat Matthiolus, qvi ſententiâ Galeni tradit, id non haberi niſi inter Regum Imperatorumvé delicias. Colligi autem Cinnamomum ab incolis Arabiæ, author eſt Ariſtot. Hiſt. animal. lib. 9. c. 13. qvando nidum avis Cinnamomi (Solinus, Cinnamolgi) qvem ex cinnamomo concinnat, ſagittis plumbatis decuſſerint. Qvam a-*

vem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

vem, aut etiam Phœnicem, intellexiſſe videtur Mart lib. 6. ep. 55. Qvod ſemper caſiaq; cinnamoq; Et nido niger alitis ſuperbæ Fragrans.

§. Auramq; procul ſpirantis amomi. *Sic & Statius lib. 5 Sylv. 3.* Sicanii non mitius halat aura croci. *Pro* Aura *tamen eſt, qvi* Uvam *ſubſtituit, eò qvòd ridiculum ſit, nidum ex aura congeri. Uva autem amomi nihil aliud erit, qvam probatiſſimum & verè ἄμωμον amomum, nam Dioſcor. lib. 1. c. 14. dicit* Amomum exiguum eſſe fruticem ex ligno, uvæ modo, in ſeipſum convolutum. *Amomum verò ſcorpionum ictibus mederi & in antidotis uſurpari cum doceat Dioſcorides, dicit Virg. Ecl. 4.* fallax herba veneni Occidet, Aſſyrium vulgò naſcetur amomum. *Alioqvi cùm Plinius perhibeat lib. 13. c. 2. amomnm etiam fuiſſe adhibitum in Unguento regali: fuiſſe puto & alia, quæ uſibus tam viventium, qvàm mortuorum commendaverit. Unde Perſ. ſat. 3.* Compoſitus lecto, craſſisq; lutatus amomis, *& Stat. lib. 1. Sylv. 2.* nec pingvi crinem deducere amomo ceſſavit. *Epitheto* Procul ſpirantis *confutantur illi, qvi pro vero amomo* Roſam *obtrudunt* Hierichuntiam. 27.

§. Et miſto balſama. *Per plurale procul dubio intelligit multitudinem. Nam* Balſamum *generis vice tum pro ligno, qvod* Xylobalſamum, *tum pro fructu, qvi* Carpobalſamum, *tum pro lacrymâ, quæ* Opobalſamum *vocatur, accipitur, Avicenna, interprete Gerhardo Carmonenſi, dicit arborem eſſe Ægypti tantùm, naſcentem in loco, qvi dicitur* Oculus ſolis: *qvibus Joſepho non contradicit, qvi teſtatur, qvòd balſamum generet terra Hierichuntis, qvod pretioſiſſimum eſt, & nusqvam alibi naſcatur. Nam ex Arabia in Judæam dicitur transtuliſſe Salomoni dono Regina Ætiopiæ, cujus ibi duo poſtea fuêre paradiſi, teſte Theophraſto: indeq; creditur in Ægyptum eſſe tranſvectum, cujus illa nunc ſola eſt ferax, niſi verum autumet Pauſanias in Arabia etiamnum provenire.* 28.

§. Opobalſamum, *qvod ſuccum ſignificat teſte Ægineta lib. 7. pro arbore habet Juſtinus lib. 36. Alias verò ubi in authoribus mentio fit balſami, fermè intelligitur lacryma, ut Virg. Georg. 2.* Qvid tibi odorato referam ſudantia ligno Balſama, *& Mart. lib. 14. ep. 59.* Balſama me capiunt, hæc ſunt ungventa Virorum &c. *Balſamum qvidam dictum putant qvaſi* בַּעַל-שֶׁמֶן *eruditè magis qvàm verè.* 29.

30. §. Miſto cum folio *ſc. Indo.* *Qvod in plurali dixit O:vidius de Triſt.lib.3.el.3.* Atq; ea (*ſc. oſſa*) cum foliis & amomi pulvere miſce. *Id* Coſmi folium *vocat Mart. in Apoph. ubi Raderus ex commentarijs Domitij intrudit* Nardi *pro* Coſmi. *Noſtro autem judicio rectius vertit Scaliger* μαλαβάθρῳ κόσμȣ. *Dioſcoride enim teſte* opinantur plerig; Indicæ nardi folium Malabathrum eſſe, odoris ſimilitudine decepti. *Epitheto* Miſto, *ni fallor, conſvetam foliorum in pilulas conglobationem indicat, nam qvæ ex majori folio convoluta eſt pilula dicitur* Hadroſphærum, *cætera, qvæ ex medioxumis & minimis, dicuntur* Melophæra & Microſphæra. *Aliàs in Tibullo lib. 3. el. 4 per hæc verba,* Stillabat Tyrio myrthea rore coma, *intelligit Scaliger Unguentum Malabathrinum, qvod etiam Foliatum dicitur, & ſubſtituit Syrium pro Tyrio.*

31. §. Non caſiæ mitis. *Caſiæ plures eſſe ſpecies qvamvis affirmet Dioſcorides, eò tamen redeunt, ut alia frutex ſit, alia herba, qvæ* Cneorum *dicitur Hygenio, teſte Plinio. Verùm Dioſcoridi lib. 4 c. 167* folium Thymelææ Cneorum *appellatur. De Caſiâ herbâ intelligendus eſt Virgilius Georg. 2.* Nam jejuna qvidem clivoſi glarea ruris Vix humiles apibus caſias Roremq; miniſtrat (*& marinum juxta Grammaticos, & alium*) *ubi Pomp. Sabinus* Caſiam candidam *intelligit.*

32. §. *Altera dicitur* Caſia odorata, *qvam Dioſcorides ait in Arabia provenire. cujus cortex, ligno à vermibus eroſo, dicitur Canella vel Caſia fiſtula, Lignum verò ipſum* Xylocaſia. *De hac caſia, locutus Colum. lib. 4. c. 8.* pluribus ait urbis locis Caſiam frondentem conſpici: *qvam Marc. Virgilius nullibi in Italia dicit ſuo ævo reperiri. Et cur non in ſua proveniat Hiſpania docet Cardan. de ſubt. lib. 8. qvòd ſcilicet ab initio cœli inclementia obſtet, creſcenti deſit humor. Pro* Caſia *Hieronymi, qvam* קִדָּה *vocant Hebræi Exod. 30. v. 24. malè reddunt LXX.* ἶρεως. *Aliàs eſt vox* Caſia *origine Hebræa. Epitheton* mitis *non placet, ſi ſapori tribuetur, nam* Caſia eſt δριμεῖα *teſte Dioſcoride. Nonnunqvam autem etiam odorem notat, ut apud Claudianum* Mitis amomi ſeges *& ſtatiam* Crocus non mitiùs halat.

33. §. Nec olentis vimen acanthi. *Vimen acanthi fruticem notare & hic & apud Virg. Georg. 4.* Nec ſerò comantem Nar-

ciſſum

ciſſum aut flexi tacuiſſem vimen acanthi, *eſt manifeſtum. Qui frutex alius eſſe neqvit, qvam* Spina Ægyptia *vel* Thebaica, *qvam* Acaciam *vocant. Qvare ad illa verba Virgilij Georg lib.* 2. & bacchas ſemper frondentis acanthi, *ait Servius:* Acanthus arbor eſt in Ægypto ſemper frondens, ut oliva & laurus; abundat hæc etiam in Cyrenaica inſula. *Cur* Olentis? *maléne an benè? Oleo enim utrumq; ſignificat, ut apud Horat.* Paſtillos Ruffinus olet, Gorgonius hircum. *Verum puto* Acanthum *in odoribus recenſitum fuiſſe. Plinius lib. 24. c. 12. inqvit* Spinæ Arabicæ laudes in odorum loco diximus. *Ubi notat Dalecampius. De Ægyptiâ ſpina tractatum eſt lib. 13. c. 9. & 11: de Arabica nusqvam. Incogitanter & obliviosè hoc Plinius.* Lego (inqvit): Spinæ Ægyptiæ laudes in odorum loco diximus.

§. Nec thuris lacrymæ. Thus à *θύον, qvod idem eſt ac θυμίαμα, ut* Pus *à πύον videtur fluxiſſe, & ſcribi debere per aſpirationem, qvicqvid contra Modeſtum dicat Chariſius Inſt. Gramm. lib. 1. Præterea* Thus *notat & arborem & ſuccum apud Plinium lib. 12. c. 14. Arbor naſcitur in Ægypto teſte Plinio, unde Niliacum Thus dicit Statius; in Panchaïa teſte Ovid. lib. 10. Metam; in Syria teſte Athenæo; in Apennino, ſi credendum eſt Cardano ſubt. lib. 8. qvod tamen à Scaligero refutatum Exerc. 149. tanqvam reus in Apologia negligit. Lacryma elicitur cortice non delibrato, ſed plagâ ſaltim laxato, teſtante Plinio. Thure autem moris fuiſſe Deos placare, tota loqvitur antiqvitas. Qvare Iſidorus, qvi molles mittunt ſua thura,* Sabæos *dictos putat à σέβεσθαι & Plinius* Sacros *vocari ait. Deus etiam juſſit Exod. 30. v. 34. componendo ſacro θυμιάματι thus adhiberi. Hinc Theophylactus in Matth. c. 2. ait:* Thus obtulerunt ei ut Deo, Deo enim thus adolemus. 34.

§. *Videtur hic Author inter lacrymam & guttam thuris diſcrimen facere, qvæ, ſi vera ominor, differunt ut genus & ſpecies. Dicit enim* Guttaq; pinguis abeſt. *Per* guttam *fortè intelligit id, qvod* Maſculum thus *vocat Virg. Ecl. 8. ubi doctiſſimè commentantem legere licet Jud. de la Cerda. Servius ineptit, nam qvod ille maſculo tribuit, verius mammoſo competit, Vide Plinium. Maſculum hoc thus dicitur* Stagonias *Dioſcor. lib. 1. c. 72. nativa guttæ rotunditate, ut vertit Virg. Marcellus.* 35.

§. *Cùm verò* Myrrham *&* Thus *arborem pariter ferre thuriferam opinentur alij dicente Plinio lib. 12. c. 15. pretioſiſſimum Myrrhæ genus, qvod* 36.

Stacten *vocant, forte etiam hic poteſt intelligi. Nam cum pro Hebræo* אֲהָלוֹת *edidiſſent LXX.* ſtacten *Pſal. 45. v. 9. per* Guttam *idem expreſſit Vulgatus. Sic contra Hebræum* נָטָף per ſtacten *redditur à LXX. Exod. 30. v. 34. Verum* רֹאשׁ מָר־דְּרוֹר *ibidem v. 23. periphraſis eſt veræ ſtactes, qvod* ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς *vocant LXX. Aliàs* Guttam pinguem *hic dicit, ut Plinius* pinguem ſpumam *de lacryma thuris.*

37. §. His addit teneras nardi pubentis ariſtas, *Intelligi hic poteſt* Syriaca, *de qvâ Horat. lib. 2. Od. 11.* Aſſyriaq; nardo potamus uncti. *Qvam tamen Syria non ferebat, ſecus ac omnes ferme ibidem tradunt commentatores, qvippe qvæ odorum non erat ferax, niſi calami & junci teſte Theophraſto: ſed fortè ex India eò advecta, cognomentum à Syria ſortita eſt, unde poſtea coëmebatur. Qvamvis autem græci Nardum vocent* στάχυν *&* ναρδόσταχυν *& latini* ſpicam: *alia tamen eſt* Nardus Ciliſſa, *alia* ſpica Ciliſſa. Nardus *enim eſt* Thylacitis *teſte Dioſcor. lib. 1. c. 8.* Spica *vero eſt* Crocus, *qvod docet Scaliger ad hæc verba Propertij lib. 4. el 6.* Terq; lavet noſtras ſpica Ciliſſa comas. *Qvam nec incommodè hic intelligere licet, cum Sicanijs crocis etiam reſpirare nidum Phœnicis author ſit Statius lib. 2. Sylv. 3.*

38. §. *Cæterum* νάρδος πιστικὴ *Joh. 12. qvam. Beza pro* Liqvida *habet, ſecutus epitheton Ovidij de arte;* Nec coma vos fallat liqvidà nitidiſſima nardo; *idq; ſecundum Stephanum, qvi* πιστικὴν *à* πίνω *deducit, nova non eſt ſpecies, ut Nonnus videtur ſentire: verùm ſignificat* τὴν ἀληθῆ, *ex Caſaubono vel docente Heinſio in Ariſtarcho. Hanc nardum Syrus* Riſchojo *ſeu primariam vocat, Vulgatus* Spicatam *Marc. 14. v. 3. Cur autem* סַמִּים *reddiderint ignoro Jun. & Tremell. per* Nardi folia cum ſpicis *Exod. 30. v. 34. Qvod vocabulum LXX. nec rectè referunt ad præcedens* חֶלְבְּנָה *dicentes* χαλβάνην ἡδυσμοῦ.

39. §. Nardum pubentem *dum ait, ſe eorum eximit conſortio, qvi ſpicam nardi pro ſola habent radice, omni uſitatè apud Græcos & latinos loqvendi conſuetudini contradicentes. Verùm illis ſtudio neglectis, qvæ de* Pubentibus herbis Foliiſq; puberibus *in Virg. commentatur Turnebus & ex illo Lud. de la cerda, pubentem intelligimus exemplo Columellæ, qvi lib. 4. c. 28. de vite dicit:* Florentem fructum movere non expedit, pubeſcentem & qvaſi adoleſcentem convenit religare.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

gare. *Sic & Statius lib. 3. Sylv. 3.* Pubenteſq; roſæ primos moriuntur ad auſtros. *Prudentiam itaq; fictæ avis prædicat hic author, temporius herbam legentis, ne eam, ſi maturuiſſet, manus meſſoris præciperet. Per* Ariſtas *& hic & Metam. Ovid. lib. 15. Synecdochicè intelligenda venit* Spica *ipſa* nardi, *quæ* πολύκομος *&* χνοῦν ἔχων *dicitur Dioſcoridi. Quare etiam Nardus ipſa* σταχυόθριξ *dicitur græco epitheto.*

§. Et ſociat myrrhæ paſcua grata nimis. 40.

Qvid Paſcuum & Ager paſcuus aut compaſcuus ſit docent pariter Feſtus & Iſidorus. Qvare & Ovid. Meta lib. 2. ait: Divitis hic ſaltus herboſaq; paſcua Nelej. *Cum itaq; arbores & frutices inter paſcua non cenſeantur, Myrrhæ arborem in Arabia provenientem, qvinq; cubitis altam, focoq; ſtruendo utilem teſte Solino & Plinio hic non intelligimus, imprimis, quia ſi vel eſſent animalia, qvæ ejus vellent corymbos depaſcere, ea præſertim, qvæ amaritudinem haberent in delicijs, ut capra ſalices teſte Virgilio, ſpinis tamen, qvibus horrida eſt arbor, procul dubio arcerentur.*

§. *Notari ergo hic opinamur herbam* Myrrham, *qvæ* Myrrhis *etiam dicitur, qvam Plin. lib. 24. c. 16. dicit cibo non eſſe inſuavem. Myrrha verò herba gemina eſt, una qvam nunc diximus: altera, qvam ita prædicat Columella lib. 10.* 41.

Et lacrymas imitata tuas Cinyreia virgo,
Sed melior ſtacte ponatur Achaïca myrrha.

De his Virginis lacrymis ita Ovid. Metam. lib. 10.

Eſt honor & lacrymis: ſtillataq; cortice myrrha
Nomen herile tenet, nulloq; tacebitur ævo.

Per myrrham Achaïcam intelligit Colum. Olus atrum, qvod Hippotelinum Græci, alij Smyrnium vocant. Qvam herbam Columella ſtactæ præfert, quia qvi ejus ſuccum colligunt, myrrhæ ſaporem habere dicunt *Plin: lib. 19. c. 8.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-500 4° 2024